

Kem 237 (1-26)



18

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CAVSSIS PRAEDISPONENTIBVS

QVAM
ADIVVANTE SVMMO NVMINE
ACADEMIAE FRIDERICO ALEXANDRINAЕ
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

**CHRISTIANO FRIDERICO
CAROLO ALEXANDRO**

MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE
SILESIAEQVE DVCE BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI
VTRIVSQVE PRINCIPATVS REL. REL.

EX DECRETO GRATIOSI ORDINIS MEDICI
PRAESIDE

D.IACOBOfRIDERICOISENFLAMM

SERENISS. MARGGRAV. BRANDENBVRG. ONOLD. ET CVLMBAC.

A CONSILIJS AVLAE

MEDICIN. ET ANATOM. PROFESS. PVBL. ORD. ACAD. IMPERIAL.
NATVR. CVRIOS. COLLEG. INSTIT. MOR. ET ELEGANT.
LITTER. ERLANG. MEMBRO HONORARIO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
PRIVILEGIIS AC IMMVNITATIBVS RITE OBTINENDIS
D. IVL MDCCCLXXX.


PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS

PETR. IOAN. LAVENT. CHRIST. WEISMANN

NEVSTADIENSIS AD AISSVM.

ERLANGAE
TYPIS KVNSTMANNIANIS.







DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

CAVSSIS PRAEDISPONENTIBVS

PROOEMIVM.

Hsi fatendum est non semper exactissimam morborum cognitionem ad felicem eorum medelam sufficere, nec semper, quo penitus morbum perspicimus, eo hunc tollere nobis esse facilius, tamen perperam inde et praecipitanter aliquis argumentaretur superfluam igitur esse omnem morborum perscrutationem, inutilem hanc in causas eorum meditationem, longeque ei anteferendam promptam medicamentorum applicationem, quae casu detecta usus docuit, felix experientia confirmavit. In tristem sic relaberetur scientia Medica Empiriam, multo hodie altius euēcta. Accidit scilicet persaepe, ut morbus obiter et fugitivo oculo visus falsissima benignitatis specie illudat, facillimeque tollendus videatur, qui idem, si quis eum exactius considerauerit penitusque perspexerit, maxime sōnticus saepeque vix sanabilis de-

A 2

pre

prehendatur. Fit inde ut, quo leuior est alterius cognitio, quo curtor supplex, eo faciliorem eoque celeriorem medelam horum morborum polliceatur, dum alter multo solidior scientia, diuturniori experientia suffultus, non blanda sibi morbi specie imponi patitur, quin in herba anguem latere, nec ullis morbum remedis sibi expugnandum candide fateatur. Sic tussin diuturnam dijudicantes turpiter saepe incauti decipiuntur, solam tussin catarrhalem aut rheuma pulmonum subesse autumantes, dum profundius in rem inquirens solers Medicus Phthisin purulentam aut scrophulosam aut aliam pessimam Pleumonidis speciem adesse detegit. Neuter, quod facile largior, infirmum restituit, nec impedit, quo minus hic ad plures abeat. At si, testante *HIPPOCRATE verae prædictiones admirationem, falsae desperationem pariunt, semper viri probi solidaque cognitione imbuti intererit, prognosin sibi, si iucundam non potest, certam saltem formare, quippe quod multo satius ducet, quam vanis et aegrum et adstantes lactare pollicitationibus, quas opinione saepe citius sinister euentus confundit.* Et ad tristem illam, quae adhuc superest, indicationem palliativam redactus, longe efficaciora, magisque ad rem pertinentia remedia eligit, qui quisnam vere sit morbi fomes inexstinguibilis, exacte cognoverit, quam qui, vnde oriantur, quae mitigare satagit symptomata, ignorauerit. Sed et feliciori ut plurimum euentu indicationibus et caussalibus et curatoriis in medendo satisfacimus, iisque probe obseruatis radix morbi extirpatur, caussa tollitur, prorsusque cum valetudine infirmus in gratiam reddit. Non sic in indicationibus palliativiis, olim certo nobis non suffecturis, subsistimus. Verum si indicantia nobis, quae sint formandae indicationes, indigent, sane et haec probe trutinanda erunt, ne incauta festinatione in errores incidamus, nulla saepe arte reparandos. Est sic in ore omnium Medicorum tritum illud, siue *CAPLVACCIO*, siue *CRATONI* siue *FRACASTORIO* tribuanus, de *nulla morbi non intellecti curatione* proverbum, arite interpretandum atque limitandum, ut sic a sanationibus fortui-

fortuitis et anilibus distinguamus, veram morbi curam, iuxta principia saniora institutam. Componi sic facile dissensus potest qui adesse videtur, dum *Iod. L O M M I V S Obf. Medicinal.* Lib. I. p. 2. de febribus loquens, *Diariam omnem curasse quam nosse facilius esse* dicit. Speciem enim solum, in quam febris inuadens transitura sit, dignoscere difficile esse contendit, id quod in omni fere cuiuscunque febris inuasione euenit; at febrem adesse in genere, corque acrius irritari et hic manifestum est. Adhibentur et hic generaliora diluentia et antiphlogistica, hisque morbus tollitur, quem quidem ad febres pertinere cognoscimus, at ipsam eius speciem in ipso ingressu atque primo intuitu dignoscere non potuimus, cum ipse finis morbi breui transeuntis nec reuertentis typum nobis demum exhibeat. Verum non dignoscere solum morbos sed et intelligere nostra interest, cauſas scilicet varias atque omnes perspicere quarum concursus ipsum morbosum corpori statum induxit, has enim nos cumprimis in debita medela aggredi, hasque corrigerem oportet. Est haec philosophia medica seu Medicina philosophica, tanto simplici similiſ euentus exſpectatione praefantior. Variae iam in scholis medicorum adferri solent morborum cauſae eaque vario modo dispisci. Recte quoque inter has referuntur eae quae proegumenae seu praedisponentes dicuntur, eae scilicet corporis dispositiones quae id ad morbum hunc vel illum ſuscipiendum reddunt aptius. Magnam fane hae in Praxi medica requirunt atten tamque considerationem, tum vt eo diſtinctius, quae fuerit morbi in corpore origo perspiciamus, tum vt ſalutari confilio amicis adesse poſſimus, ſanitatem conſeruaturis, cauſas occaſionales eis indicantes, quae potiſſimum eis evitandae ſunt, ne pro varia corporis ſu dispositione, in varios morbos incidunt. Cum ergo iam in eo conſtitutus ſim vt ſpecimem quoddam inaugurate mihi exhibendum ſit, nonnulla in morborum cauſas meditatus ſum. Neque vero omnes pertractare cauſas aut abſolutum conſribere ſystema aetiologicum instituti mei ratio permittit, cumque pauciflmis me continere pagellis cogar

cogar in solis caussis *praedisponentibus* subsistam, et circa has nonnullas sparsim quasi proferam meditationes, quas ut Bene- uolus Lector pro sua aequitate, meique ingenii tenuitate diuidet enixe rogo.

§. I.

Quod si, iuxta HIPPOCRATEM (Lib. I. de flatibus, Cap. II.) *is qui caussas morbi probe cognoverit, valde potens est, ea afferre, quae corpori commoden, nimurum contraria morborum natura perspecta*, nunquam sane Medicus nimium, vix vnquam satis in rimandis hisce caussis defudare potest. At et has praeter necessitatem multiplicare, idem ac laborem difficultem longe sibi reddere difficultorem est. Facit quidem P. FRID. HOFFMANVS (Med. Syst. Rat. Tom. II. Cap. IV. §. 4.) variarum caussarum mentionem, quarum *Classe maxime secundum actiones humanas instruetae dicuntur interque has refert caussam efficientem, principalem, impulsuam, moralem, physicam, instrumentalem, formalem, obiectuam, finalem, subiectuam et id genus plures*. Verum facile patet quam Scholam Medicorum impugnet Vir olim III. dum paulo post subiicit: *caussas has metaphysicas, quae potius mentis, quam corporis operationibus explicandis inseruiunt, iure meritoque reiicimus, easque in physicam corporis humani scientiam neutiquam recipendas esse existimamus, praesertim cum eiusmodi admisis omnis vera ratio et demonstratio in medicina, quae maxime in vera caussarum, quae corpus in functionibus suis mutant, inquisitione versatur, uno ictu praescinditur*. Possem quidem hic paululum inquirere an et quatenus nonnullae harum caussarum in scientiam medicam introduci, et cuiusdam utilitatis esse possint; verum longius haec ab instituto meo recedunt ad quod nunc proprius

pius mihi accedendum est, paucissimis adhuc de caussis in genere praemissis.

§. II.

Eleganter sane CELSVS (Lib. I. Cap. IV.) *caussae invenit fligationem, eiusque primordia et occasionem in affectionis et remediiorum cognitionem deducere amplissimam* dicit, hisque verbis vniuersam quasi aetiologyam pathologicam mihi delineare videtur. Aliis etenim verbis eandem caussarum facit distinctionem, iuxta quam et hodie in scholis Medicorum morborum caussae dispeci solent. Prout enim Philosophi in genere id caussam dicunt quo posito ponitur effectus, quo sublato tollitur, ita etiam medici *caussam morbi* vocant *quae morbum praesentem facit* (BOERHAVE Instit. Med. §. 737.) At quum facile appareret non totam sic exauriri aetiologyam, quin et alia exactius dividenda supererent, et plurimum quasi caussarum requiri concursum, alteriusque ex altera generationem, ut ipse morbus producatur, recte caussas in remotiores et proximas distinxere. Remotiores rursus in internas vel praedispentes seu praegumenas, et externas vel occasioales seu proctarcticas diuisae sunt. Illae harum caussarum, quae in corpore praeexstiterunt ante effectum productum, *internae* vocantur; si autem extra corpus existentes, inde ei applicatae, morbum pariunt, *externae* dicuntur, (ibid. §. 738) *Causa* vero *proxima* morbi appellatur tota illa simul, quae totum iam praesentem directe constituit, quae semper est integra, sufficiens — (ibid. §. 740) aut, ut id aliis verbis Cl. Autoris de notem, est ea in corpore sano per caussas remotiores effecta mutatione, quae in ulteriori evolutione, prae reliquis, efficax est ad dispositionem, ex quo actiones porro laeduntur, inducendam (III. LUDWIGI Institut. Pathol. §. 181.)

§. III.

§. III.

Etsi vero sint in his definitionibus quae exactiori paululum explicatione indigere meditanti videbuntur, simulque facile caussam proximam et *materialem* et *formalem* esse posse appareat, sic tamen satis, quae est inter caussas remotiores et proximas differentia, clara atque distincta est. Aliis quidem verbis aliisque verborum significationibus passim Eruditi vntuntur, at eandem rem, eandem caussarum denotantes differentiationem atque distinctionem. Ita Ill. SAUVAGES (*Nosolog. Methodic.* T. I. p. 183.) *caussam* dicit illud ex quo alterius actualitas intelligitur, *Principium* ex quo alterius tantum intelligitur possibilias. Sique paullo post subiicit *caussam* esse illud quo posito solo producitur effectus, quo solo sublato tollitur effectus, manifestum est Virum Ill. id *Caussam* tantum nominare quod alii *caussam proximam* dicunt, *Principium* vero illud quod aliis sub nomine *caussarum remotiorum* venit. Aliorum quoque definitiones refert. Ill. GAVBIUS (*Instit. Pathol.* § 60.) dum *Remotam caussam* aliis esse dicit quae sola non sufficit, sed intercedentem aliam requirit caussam propiorem ut morbus fiat, *proximam* vero quae remotis superueniens, momentum addit, ut illico morbus oriatur, adeoque hunc nascentem proxime antecedit. Breuius adhuc, at et minus distincte *caussa proxima* dicitur quae morbum proxime antecedit; (*Nov. Pathol. Delin. Part. I.* §. 28.) non enim hic de antecedentibus et consequentibus quam potius de caussa et effectibus sermo est, ut adeo nobis *caussa proxima* illa sit, quae ex remotiori aut remotiorum concursu orta, nulla iam interveniente alia morbum producit, quaque posita ponitur morbus, qua sublata tollitur.

§. IV.

Licet igitur arctissimus et indissolubilis sit nexus inter hanc caussam proximam atque effectum, perperam tamen nobis

bis obiiceretur , nos caussam hanc cum morbo ipso confundere. Recte enim ad euitandam hanc suspicionem , Cl. Virorum verba interpretanda sunt. Dum Ill. L V D W I G I V S (Instit. Pathol. §. 181.) caussam proximam saepe cum morbi idea *commisceari* dicit, dubitari non potest quin hic potissimum ad methodum medendi respiciat, qua morbum ipsum, aut, iuxta alios, caussam morbi proximam tollere conatur: B. BOERHAVIVS (Instit. Med. §. 740.) caussam proximam morbi appellans totam illam simul, quae totum iam praesentem directe *constituit*, esse fere eandem rem integro morbo, subiicit. At *to constituer*e idem sine dubio hic est ac *to efficere* vel *produce*re, vt sic caufsa ab effectu distinguatur, nisi forte proprius ad Ill. S A U V A G E S I I mentem accedere lubeat, qui morborum descriptionem praeferens, *morbum symptomatum inter se connexorum concursum esse* dicit. (Nosol. Method. T. I. §. 351.) Et sane si variorum morborum e.g febris, inflammationis, definitio-nes intueamur, inter plurimos receptas, et cum caussis horum morborum proximis conferamus, has in ipsa iam definitione contineri, siveque iisdem verbis et morbum et caussam pro-ximam definiri deprehendimus, id quod unicuique exacta ana-lysi in has definitiones inquirenti, et cum caussa proxima con-ferenti facile patebit.

§. V.

At differunt inter se caussa proxima morbi ipseque morbus, vtvt maxime coniuncta sint, ut separari nequeant. Praece-dit enim caussa, existentiam alterius efficiens, sequitur effe-ctus. Quod si igitur ipse morbus is sit status praeter-natura-lis corporis qui concursum symptomatum inter se connex-e-rum necessario efficit, sequitur inde, illam caussam quae hunc statum praeter naturalem necessario corpori intulit et sine qua hic morbus nunquam ortus esset, proximam morbi caussam appellandam esse. Exemplo clarius mentem meam explicare non intempestivum iudico. Caloris, doloris, ruboris et tu-

B

mo-

moris concursus morbum constituunt inflammatorium. Oriuntur haec symptomata ab obstructione vasculorum in quae, ut dici solet, globuli purpurei per *errorem loci* maiori impetu protrusi sunt, quorunque ramuli irritati spastica constrictione resistunt. Maior igitur hic sanguinis impulsus atque impetus caussa, obstructio vasculorum minorum effectus seu ipse morbus inflammatorius erit, qui demum complexum symptomatum producit, et quo sublato omnia eius cessant symptomata. Idem e. g. si vulnus intestinis punctum inflictum consideremus patet. Effusio sanguinis e partibus laesis, dolor et tensio abdominalis, exstillans materia vel chylosa vel stercorea e vulnera aliaque plura consectaria aderunt vel symptomata, quae omnia ideo adsunt, quia in intestinis hiatus, seu solutio continua adest. Hic ergo hiatus symptomata haec producit et est ipse morbus, sique haec solutio continua non adest, omnia quoque abeant symptomata. Verum haec solutio continua facta est per validam satis gladii bifidi in abdomen intrusionem simulque intestinorum perforationem, sique gladius non intrusus fuisset, neque intestina perforata essent. Ipse ergo actus intrusionis gladii, seu vulnetationis, caussa proxima, status intestinalis in quo discissa nunc sunt, scilicet vulnus morbus est seu effectus a caussa hac productus, quem rursus necessario symptomatum concursus sequitur. Nec difficile erit, si quis eodem tramite incesserit, huicque examini omnes alias morbos subiecerit, in arctissimo nexus tamen caussam proximam morbi ab ipso morbo distingui.

§. VI.

Dum sic complexus symptomatum inter se connexorum, a statu quodam praeternaturali corpori inducto oritur, id quod hunc statum praeternaturalem necessario et immediate induxit causa erit *proxima*. Videor quidem mihi hic aliquantum a solita recedere significatione et in difficultatem quandam incidere, quæ tamen breui tollitur, si quis et antecedenter

tem

tem caussam et consequentem effectum probe distinxerit si-
mulque concatenationem caussarum, qua vnius caussae effe-
ctus rursus caussa alterius effectus, alium adhuc effectum pro-
ducturi esse possit, attente considerauerit. Quod si iam dici
solet morbi curationem vel sanationem in eo consistere, vt
caussa morbi tollatur, sine dubio id de caussa potissimum *pro-
xima* interpretandum erit, dum in remotiores haud aequa
facie haec sublatio quadrat, nisi forte ad fontem diaeteticum
respiciatur. At caussa proxima talis esse potest, vt nullatenus
aboleri, et si antecedens fuerit, nulla arte effici possit, quin
antea reuera adfuerit, sique nunc non amplius adest, non id
labore medici, sed naturali quadam necessitate reiisque condi-
tione effectum est. Idem quod antea protuli exemplum, di-
stinctius mentem meam aperiet. Tertio die ad sanandam in-
flammationem solitis suis stipatam symptomatibus aduocor.
Do operam, vt praesens obstruacio vasculorum tollatur, san-
guisque phlogisticus resoluatur, quo sic et omnia simul tollan-
tur symptomata. Verum maiorem impetum, qui ante triduum
sanguinem in vascula impulit et obstructionis caussa proxima
est, abolere non possum, nunquam scilicet efficere, vt haec
impulsio antea non facta sit. Idem ad vulnus intestini appli-
co. Ipsum biatum aggredior Naturae opem latus, vt hic
hiatus consolidetur, eiusque plures effectus seu symptomata
tollantur. Caussa huius hiatus proxima fuit momentanea illa
ensis valida vi intratio, et licet ensis extractus sit, facta ta-
men iam est perforatio, quae intestinum perforatum reddit.
Hanc perforationem, vt antecedens et factum historicum abo-
lere seu infectum reddere nequeo; licet caussa proxima vul-
neris fuerit, sed ipsum vulnus, vt effectum seu morbum ipsum
curandum suscipio, vt sic complexus symptomatum inde pro-
ductorum cesset. Morbum ergo pro complexu symptomatum
sumtum sanamus dum caussam horum symptomatum proximam,
scilicet morbum ipsum ceu statum corporis praeter naturalem
tollimus.

§. VII.

Sed vltius de caussis morborum locuturus ad CELSI effatum redeo, in quo si recte verba interpretor, omnes caussas, quas investigare Medici iubent, denotatas inuenire mihi videor. Iubet scilicet, vt *affectio* seu morbus ipse, cum indicatis *remediis* cognosci possint, inuestigare *caussam*, sub qua sine dubio eam intelligit quae *proxima* dicitur, quoniam ei *primordia* et *occasione* subiungit. *Primordia* sic in corpore latitantia, scilicet caussam internam et *praedispontem* ab *occasione* seu caussa externa *occasionali* distinguit, hisque duobus nominibus eas caussas comprehendit, quae *remotiores* in scholis medicorum dicuntur, quarumque concursui plerumque origo caussae *proximae* sive ipsius morbi tribuitur. *Remotiores* hae *caussae*, quae ex verum sic dictarum *naturalium*, non *naturalium* et (addit Vir Ill.) *praeternaturalium* Classe pertendae sunt, antecedentes et proximas demum *causas* proligant et constituant. Frid. HOFFMANN Med. Rat. Syst. T. II. Cap. IV. §. XL.) Caussae igitur *occasionales* praecipue res non naturales earumque intempestivum usum seu vitium quoddam diaetae commissum concernunt, quas BOERHAAVIVS (Instit. Med. §. 744.) sub nomine *ingestorum*, *gestorum*, et *retenitorum* refert. *Applicata* quidem addit, *vulnerans* scilicet, *contundens*, *erodens*; verum si modum applicationis intueamur, parum aberit quin, iuxta §. V. ad caussam *proximam* ea referenda sint. Facile apparet et miasmata hoc pertinere, quorum per aerem distributio caussa *occasionalis*, resorptio in alterum corpus fiens caussa *proxima*, eius iam nunc in corpore praesentia morbus ipse est, sua demum symptomata producens. Adeo ergo hic vera caussa *proxima materialis*, cum in vulnere e. g. et fractura caussa tantum proxima formalis adesse possit.

§. VIII.

Caussae vero quae *praedispontentes* vel *internae* vocantur, in varia rerum *naturalium* qualitate a Medicis quaeruntur atque

que collocantur, ideoque a nonnullis caussae ipsae *naturales* dicuntur (Nov. Pathol. Delin. Part. I. §. 27.) Sunt vero res naturales, sicut in scholis Medicorum dicuntur, illae quae praesentem vniuerscuiusque Individui statum atque naturam constituunt, ut aetas, temperamentum, sexus, dispositio haereditaria, consuetudo, habitus corporis, vitae genus (Frid. HOFFMANN. ibid. §. XXXIX.) quibus forte non male graditatem et puerperium adderem. Ab his itaque conditionibus potissimum status fluidorum atque solidorum pendet, qui sic pro harum caussarum diuersitate diuersissimus esse potest, at saepe simul talis, ut accedente caussa occasionali hic vel alius morbus facilius oriatur. *Facilius* — inquam, ut sic a statu reliquorum individuorum distinguam. Ill. GAVBIUS (Instit. Pathol. §. 59.) Caussam *praedispontem* dicit conditio-
nem quamvis corpori inherenterem, qua illud *aptum* est, na-
ta occasione, morbum suscipere. De mutatione loquitur B.
BOERHAAVIS (Instit. Med. § 741) dum caussam *praedi-
sponentem* vocat illam, quae corpus ita *mutat*, ut aptum sit
morbum suscipere, si alia adhuc accesserit. Ab ipsa *disposi-
tione morbosa* Ill. LVDWIGIVS (Instit. Pathol. Cap. III. §. 155.)
in corpore iam nata genesin morborum siue vltiorem de-
pravationem solidorum et fluidorum deducit. Dum attente
cuncta haec inter se comparo, exactam quandam distinctio-
nem necessariam esse inuenio, ne aut nimium extendatur
caussae pradispontis significatio, aut iusto arctioribus ea
constringatur limitibus.

§. IX.

Est itaque nobis caussa *interna* I. *praedispontis* illa rerum
naturalium conditio, per quam, hoc individuum *aptius* est,
accidente caussa occasionali ad morbum suscipiendum. Cur
hic de subiecto reliquis aptiori loquar, facile apparebit. Mor-
bos enim ratione subiectorum, quae ab iis aut inuaduntur,
aut inuadi possunt, aliquantum distinguendos aut subdividen-

dos esse mihi videtur. Dicerem itaque morbos simpliciter *possibles*, quos in subiecto quodam oriri, nullam inuoluit contradictionem, quosue sic *impossibilibus* seu iis opponerem, qui nullatenus in hoc vel alio subiecto euenire possunt. Magis mens mea adlatis exemplis cognoscetur. Febrem in omni homine cuiuscunque sit vel sexus vel aetatis, oriri posse, nemmo dubitat; excitari haec potest a quacunque demum causa cor irritante, at nollem ideo ob hanc *possibilitatem* omnes homines ad febrem praedispositos dicere. Verum fieri nunquam potest, vt vir abortum patiatur, aut obstructione vel metastasi lochiali adsciciatur, morbo scilicet in viris *impossibili*, et cui solae grauidae, solaeque puerperae subiectae esse possunt. Nondum tamen hanc ob caussam omnes grauidae omnesque puerperae ad abortum, ad lochiorum metastasin mihi *praedispositae* dicendae videntur. Duas video foeminas grauidas, alteram robustam, optima sanitate fruentem, septem iam olim partus feliciter enixam, alteram, debilem valetudinariam, plethora imbecillium affectam vehementibus animi pathematibus obnoxiam, pluresue olim iam abortus perpeßam. Hanc sine dubio ad abortum pluresue alios in puerperio accedentes morbos *praedispositam* dicerem, cum in illa abortus mihi tantum, si valida quædam cauſsa occasionalis accesserit, oriri posse videatur, ideoque solum *possibilis* dicendus.

§. X.

Vtique enim, si de *praedispositione* sermo est, etiam ipsa cauſsa *externa l. occasionalis* et cum primis eius actiuitas et vehementia consideranda est, ne in obscuram quandam et difficilem incidamus ambiguitatem. Hic sane cognitio mathematica cognitioni nostrae philosophicae certitudinem addit. Plures enim dantur morbi ad quos aut omnes homines *praedispositos* esse, aut ad quos producendos nullam peculiarem requiri cauſsam internam aut *praedisponentem* dicere debemus. Tanta scilicet, tamque valida esse potest cauſsa *externa*, vt indistinctum

Etiam

Etiam in omnibus hominibus, in quos agit, noxiū suū effe-
tum producat. Ita in casu ab alto valde loco si, capite
strato lapideo alliso, cranium diffringatur, adeo violenta haec
est causa externa, vt vix hic magnam *praedispōsitionem* in
singulare quadam cranii fragilitate quaerere necesse sit, dum
sane omnes eandem violentiam passi et eadem labe adficerentur.
Sique interdum accidat, vt tantam violentiam non adeo
tristis sequatur effectus, id felicitati potius lapsus, obliquae
cuidam directioni aut aliis quibusdam eruentis circumstantiis
tribuerem, quam singulare cuidam cranii duritiae, licet quidem
in Theatris passim crania insignis densitatis, crassitiae et duri-
tiei inueniantur, vix tamen iuste omnes homines quibus mi-
nus densum est cranium, ad eius fracturas *praedispōsitos* dice-
re vellem, nisi forte singularis quadam vitiosa aut morbosa,
vt reliquorum ossium, ita et cranii fuerit tenuitas aut fragili-
tas. Idem fere de omnibus caussis externis valebit, quae cor-
pori nostro tanta vi applicantur, vt solutionem continui effi-
cere possint, dum scilicet et sanissimum et optime conformatum
corpus tale sit vt, si proportionata causa violenta applicata fuerit,
penetrari, sicque solutionem continui pati pos-
sit. Quodsi enim exercitum in aciem eductum iamque ad
proelium accendentem intueamur, inque hoc conflictu mul-
tos interfectos, alios saucios alios incolumes ex eo excedere
videamus, sane nobis vix vñquam persuadebimus hos cum-
primis ad necem, aut ad vulnera accipienda fuisse *praedispō-*
sitos, sed aut aequalē in omnibus militibus prout etiam omnibus
hominibus vulnerum accipendorum concedemus *possibili-*
tatem, sicque vniuersalem, si velis, *praedispōsitionem*, aut
caussas occasioales, globulos scilicet plumbeos et acinaces
obuolitantes adeo vehementes validasque esse, vt si debito
impetu corpus tangant, caussam proximam scilicet dissolu-
tionem eius compagis producant, licet nulla particularis vel in-
diuidualis adfuerit *praedispōsito*.

§. XI.

§. XI.

Quodsi vero ipsam subiectorum respicio differentiam, morborumque oriundorum maiorem vel minorem facilitatem, saepe etiam morborum *congruorum* et *incongruorum* mentionem fieri video. Ipsa res si exactius consideretur, fere ad ea accedit, quae de *praedispositione* dicta sunt, nisi forte in gradu aliquam collocare lubeat diuersitatem. *Congruus* enim quibusdam dicitur morbus, qui cum una vel altera ex rebus naturalibus in quodam subiecto magis conuenit, ita vt a leuiori causa facilius excitari possit. Facile inde patet, qui hoc sensu morbus *incongruus* dicendus sit, et quare merito maiorem Medici excitet attentionem, in minori subiecti conuenientia altera ex parte validiores caussas occasioales, vel caussas caussae seu caussarum supponentis concatenationem, eo grauiorem effectum producturam. Hinc cum primis in formanda prognosi non prorsus superflua est haec *congruitatis* morbi consideratio. Sic haemorrhagia narium in aetate puerili plerumque pro morbo *congruo* habetur, rarisimeque magno terret periculo; at si senibus aut nares stillent, aut effusa superueniat haemorrhagia narium, maiori sane trutinabit cuncta attentione prouidus medicus, vt, quae sit caussarum connexio hunc morbum caeterum in hac aetate *incongruum* producens detegat, damnaque ab hac, vt vocant nonnulli, palindrome, metuenda auertat. Foeminam si quis viderit, post plura olim puerperia iam in termino cessationis mensium constitutam, nuncque immanni correptam haemorrhagia vteri, non sane multum mirabitur, *congruitatem* quandam huius morbi cum ipsis reliquis foeminae rebus naturalibus deprehendens. Verum non adeo expeditum erit eius iudicium si virgo vix ante paucos annos primum menses experta iam nunc vehementissima subito corripiatur haemorrhagia qua cum doloribus plus minus acerbis sanguinem multum, atrum saepe coagulatum immo ipsos trombos e genitalibus effundat. Minus *congruum* hunc morbum ipsi subiecto deprehendens, in diagnosi saltem formanda

cau.

cautissime versabitur, validissimam scilicet quandam caussam externalm insolitae affectionis suspicans. Quod si quis igitur *congruitatem* in vna potissimum rerum naturalium quaerat atque collocet, ad *praedispositionem* vero plures harum rerum requirat, non illico omnes homines ad morbos congruos *praedispositos* esse dicet, eoque minus cum et *praedispositio* varios gradus admittat siveque successive ad maiorem *praedispositionem* ad morbos congruos transiri possit. Sic purpura puerperio superueniens morbus quidem in se *congruus* est, neque tamen ideo omnes puereras ad purpuram aequaliter *praedispositas* esse, facile dicendum erit.

§. XII.

Eam iam Pathologiae partem quae de caussis *praedisponentibus* agit, si ad ipsam magis therapiam specialem, immo ad ipsa individua applicare velimus, seu potius generalem quandam earum diuisionem, respectu ipsius mortorum originis instituere, variae nobis ad eam theoriae partem viae patient. Possumus enim omnes morborum classes, ordines, genera, forte et species percurrere, signa diagnostica atque prognostica considerare, symptomata inuestigare, siveque demum inde ad caussam proximam argumentari. Necessario haec meditatione simul nos ad caussas remotiores ducet, nobisque patet tum, quae sint caussae occasioales, quae singulos morbos excitare possint, tum, quae requiratur ad singulos morbos praesens iam in corpore *praedispositio*. Hanc fere sequuntur methodum omnes scriptores therapiam specialem explicantes, dum in pertractandis ordine systematico morbis, simul caussas *praedisponentes* indicant, siveque homines qui singulis morbis facilius obnoxii sunt, seu *subiecta* indicant. Verum et alius nobis sece offert huius tractationis modus, aliasque ordo. Dum enim caussae *praedisponentes* in ipsis potissimum rebus naturalibus earumque conditione constitutae atque quaerendae sint, non inopportunum quoque foret singulas hasce res naturales pertractare, et ex diuersa vniuerscijusque conditio- ne illos morbos explicare ad quos potissimum corpus *praedisponant*. At supereft adhuc alia via, quae simul breuissima

C

vide-

videtur. Dum scilicet, ut in scholis dicitur, res naturales ipsam naturam hominis et cuiusvis individui constituant, varia inde necessario corporis in genere spectati nascetur conditio pro harum rerum naturalium diuersitate. Haec corporis conditio in ipso statu fluidorum atque solidorum consistit, indeque etiam maior aut minor pendebit ad quosdam morbos procluitas. Posset igitur in genere considerari, quae sit fluidorum, quae solidorum qualitas, quae per hunc vel alium rerum naturalium concursum efficiatur. Sic solida considerantur quatenus sunt vel stricta vel laxa, vel etiam fibrae magis vel minus contractiles vel etiam irritabiles, fluida quatenus sunt vel spissa, viscida, tenuia, et e particulis varia proportione et mixtione inter se coniunctis composita. Tum enim non difficile erit reperire, quinam sint illi morbi ad quos huiusmodi fluidorum et solidorum conditio *praedisponeat*, et simul quae-nam requirantur caussae occasio[n]ales, ut in hac corporis praedispositione hic potissimum vel aliis morbus producatur. At quemcunque ordinem elegero, in vastissimum me laborem abripi, integrumque mihi volumen conscribendum esse video, nec paucis, quae specimini meo destinatae sunt pagellis, insignem hanc pathologiae partem comprehendi posse, etsi singula vel breuissimis tantum attingere constituerem. Satius igitur iudico, iis quae hucusque de caassis praedponentibus in genere dicta sunt, paucissimas adhuc circa hanc materiam subiungere annotationes aut meditationes.

§. XIII.

Quod si fluidorum qualitas et solidorum maior vel mi-nor stricatura vel laxitas habitum praeципue corporis seu id potius constituant, quod temperamentum vulgo vocatur, si-mulque cuncta haec pro aetate, sexu, vitae genere aliisque pluribus momentis varia esse possunt, eo tamen usque singu-lis individuis sua manebit sanitas, quoad omnes functiones in oeconomia animali viui hominis necessariae debito ordine, et modo, debitaque facilitate succedunt. Iusta sic inter soli-dorum strictroram, fluidorumque qualitatem adeat atque subsi-stit ratio. At augeri potest haec solidorum stricatura vel laxi-tas,

tas, mutari fluidorum qualitas, et augebitur certe, ni sic instituatur rerum non naturalium vsus ut huic augmento, fluidorumque mutationi sit contrarius. Nec per saltus sed per gradus haec morbosa procedit dispositio. Sic si ea instituatur viuendi ratio qua solida relaxantur, fluida viscida et mucosa generantur, eo sane celerius hoc progredietur augmentum si is iam fuerit in subiecto habitus corporis, ea solidorum et fluidorum qualitas quam vulgo temperamento *pblegmatico* tribuere solent. Cibus viscidus, erodus, farinaceus non fermentatus, abusus potus calidi, habitationes humidae, vita sedentaria, somnus nimius sine dubio maiorem hanc solidorum laxitatem, fluidorumque visciditatem efficere aut huius qualitatis augmentum accelerare possunt, si iam antea huiusmodi habitus corporis seu *praedispositio* adfuerit. Nascetur ergo maior huius qualitatis quantitas, scilicet gradus maior, iamque habitus *pblegmaticus* in *cachecticum* transibit, qui increscens in leucophlegmatiam seu verum affectum *hydropicum* degenerabit, non facile superuenturum, ni prauus rerum non naturalium usus eousque hunc naturalem iam corporis habitum seu *praedispositionem* auxisset, verum si potius contraria prorsus viuendi ratio instituta fuisset. Nec obiicere mihi quis hic posset substitisse tamen semper fluida inter et solida pristinam rationem sicutque sanitatis fundamentum, et cum laxitate solidorum increuisse fluidorum et molem et visciditatem. Ipsa enim haec depravata et praeternaturalis ratio maximo erit impedimento quo minus fluida debite moueantur, ipsaque se- et excretiones ad sanitatam maxime necessariae rite succedant.

§. XIV.

Verum etiam longe remotius eadem caussae iidemque morbi originem sumere possunt, longeque altius repeti. Esto scilicet in corpore *robur irritable*, fibrae densae, strictae, a leniori iam stimulo irritandae, valide sic fluida conquaflantes, condensantes, variasque earum partes aut magis exaltantes et euoluentes aut arctius compingentes. Temperamentum id *cholericum* communi denominatione diceretur. Iam ea huic corpori si ingerantur aut applicentur, aut si eae superuenerint occasio-

occasiones, quibus solida magis irritantur, acrimumque et stimulantium quantitas in fluidis augeatur, intellectu facile est huiusmodi morbos breui superuenturos, ad quos in habitu corporis adest *praedispositio*, morbos acutos, inflammatorios, biliosos. At et immutari successiue haec dispositio in contraria potest, sic, ut iisdem pergentibus caussis morbi pristino et olim sano statui penitus contrarii produci possint. Quodsi enim subiecto habitus corporis strictioris eaedem caussae occasionales quae supra (§. XIII.) recensitae sunt, accesserint, scilicet quae solidorum laxitatem, fluidorum visciditatem et inertiam efficiunt, iam in subiecto hunc in habitum mutato, si eaedem caussae pergant, et eosdem morbos ad quos id iam successiue *praedisposuerunt*, producent. Mutabitur sic quasi pedentim temperamentum *cboleericum* in *pbleumaticum*, inque hoc corpore sic ad affectus hydropicos magis *praedisposito*, facilius quoque et celeriori passu cachexia indeque leucophlegmatia sequentur. Confirmant successiuam hanc morborum originem caussaeque ex caussa generationem obseruationes practicae omni cum attentione mutationem corporis explorantes. Vix enim vñquam factum est, ut vir, cui, communis loquendi modo temperamentum maxime *cboleericum* tributum esset, vna nocte aut paucarum horarum spatio subito quasi leucophlegmatia vel hydrope anasarca corripiatur, verum successiue fluida spissescunt, solida laxantur, ut sic eaedem caussae, quae iam corpus mutarunt et ad huiusmodi morbum *praedisposuerunt*, si agere pergent, verum hunc morbum producant. Eleganter id Ill. LUDWIGIVS (Instit. Pathol. §. 12.) his verbis explicat: *in morborum genesi primo caussae successiue applicatae et auctae dispositiones quasdam corporis praeter naturales inducunt, quae morbum sustinent.*

§. XV.

Nec adeo difficile erit haec, quae exempli loco nunc prolata sunt, etiam ad alias, ut vocant *complexiones* applicare, caussarumque actionem perspicere, quibus successiue singulae in eum gradum euehi possunt, ut in veros morbos transeant. At et id praecipue medici interest, methodo prophylactica amicis

cis suis consulturi. Patet enim inde in genere eum rerum non naturalium vsum esse suadendum, qui *praedispitionem* hanc corrigat potius et emendet quam augeat. Satis saepe manifestus est hic corporis habitus, haec fluidorum atque solidorum conditio sat distinctis sese signis exhibit, vt, quae obfutura sint quaeue vitanda ne morbus producatur, facile pateat. Tres sic video corpus motu aestuans incaute vespertino aeri frigido exponere, quorum paulo post vnius febre rheumatica, alter catarro tertius vera peripneumonia corripitur. Cur eadem cauſa occasionalis idem diaetae vitium diuersos producat effectus is facile perspiciet, qui considerauerit in horum subiectorum uno debilitatem fuisse, vt cum Ill. HALLERO loquar (Elem. Phys. T.II. L.V.) irritabilem, in altero non irritabilem, in tertio robur irritabile. Iam hae differentes *praedispitiones* cum cauſa occasionali concurrentes, non eandem sed diuersam efficiunt cauſam proximam, diuersum sic morbum producunturam. Verum non semper adeo in aprico est diuersitatis ratio, nec an in fluidis, vel solidis quaerenda sit distincte illico patet. Ratiocinio sic et argumentando magis tunc colligenda erit. Regula enim iuxta quam corpora, vt vulgo inter medicos dicitur, non secundum actuitatem sed secundum receptuitatem agunt, praecipue etiam in Physica medica obtinet. Globus cereus igni expositus liquatur, argillaceus indurescit, vt adeo ignem in genere nec liquare nec indurare dici possit. Sunto plures, qui simul suspecto quodam aut vere noxio cibo ex eadem patina vescantur. Fieri potest, vt vnuſ eorum nullam prorsus inde noxam experiatur, dum alter ad immanes sollicitatur vomitus, alter cholera, alter gastrodynbia, colica vel etiam diuturna febre, aut, vt experientia docuit, vlceribus vel efflorescentia labiorum corripitur. Quantitatem quidem diuersam ingestam facere ad diuersitatem effectus fatendum erit, at et in singulorum subiectorum dispositione latebit quoque cauſa cur eadem cauſa irritans irritatione ſua differentes adeo producat effectus.

§. XVI.

Solent plerumque hanc differentiam ex *praedispitione* explicatur ad *idiosyncrasiam* configere, quae etiam inter res naturales



rales refertur, in ea scilicet rationem quaerentes cur in hoc individuo eadem caussa externa longe alium ac in aliis effectum producat. Ipsum quidem terminum, dum iuxta etymologiam suam propriam et *peculiararem commixtionem* denotat, fluida tantum concernere, in aprico est. Neque negari potest esse in vno quoque homine individuale huiusmodi humorum mixtionem a reliquis differentem, quam et canes eminus herum detegentes confirmant. Eueniunt quoque interdum in quibusdam subiectis phaenomena, quae satis commode saltem non commodius quam per singularem humorum qualitatem explicari possunt. Referrem huc purpuram vrticatam, quae illico vsum lapidum cancerorum vel etiam vsum ipsorum cancerorum sequitur, aut sudorem cruentum post esum asparagorum superuenientem. Verum non minus certum est, plura quoque obuenire quae vulgo idiosyncrasiae tribui solent, vbi nulla vnquam suspicio adest, latere caussam in fluidis, et quae rectius omnino e vario neruorum et numero et distributione explicari posse videntur, eoque magis si caussa externa manifestius vel citius in solida quam in fluida agat. Neruorum enim distributionem innumeras exhibere varietates vel ii satis experiuntur, qui huiusmodi laboribus manus admovent, si que iam in iis neruulis qui instrumentis adhuc euolui, oculisque detegi possunt, tantae reperiuntur in distributione et origine varietates, maxime mihi probabile videtur in ipsis finibus oculorum aciei se subtrahentibus non pauciores adesse variationes. At minimi neruuli quanta iam sensibilitas, quantum in actione momentum! Vnum sic filamentum in plexu cardiaco deficiens, irritabilitatem cordis minuendo ad Lipothyniam facilis praedispone nre videtur, vnum additum forte maiorem efficiendo irritabilitatem, ad morbos ex motu maioris cordis oriundos producet dispositionem. Sed et minimum filamentum ad plexum vel ganglion accedens et maiorem sensibilitatem et peculiararem quendam efficer potest consensem, vt nuper elegantissime dictum est. (Anton SCARPA de *Plexibus et Nervorum gangliis* §. XLII.)

§. XVII.

Non altius iam in fluidorum mixtionem descendere audeo, inquisitus scilicet an et quatenus et in his caussa *praedispontis* latere

latere possit cur facilius morbus in corpore produci possit. Tantis enim me difficultatibus implicitum iri sentio, quibus soluendis me imparem esse lubens fateor. Sunt quidem morbi quorum origo haud adeo difficulter perspicitur, eoque facilius si ad ipsum corporis habitum, simulque sic ad solida respiciatur. Ad sunt in quodam corpore humores aquosi, salgi, solida simul irritabilia, corpus perspirabile. Accedit leuior adfectus catarrhalis quem et facile leuiores motus febriles comitantur. Breuissimus iam inde et maxime expeditus ad febrem quandam miliarem seu ad purpura valde saepe prurientem est transitus, suntque personae in quibus adfectibus catarrhalibus facillime exanthemata superueniunt, quorum caussam *praedisponentem* non immerito etiam in ipsa fluidorum qualitate quaererem. Verum non semper ea *praedispositio* patet in humoribus, in quibus tamen manifeste caussam morbi proximam latere constat, ut adeo adhuc dubitetur an detur vera huiusmodi *praedispositio* in fluidis, an sola illa omnibusque hominibus communis possibilis sufficiat, omnesque sic homines his morbis aequaliter obnoxii sint. De peste quidem vix habeo quae dicam. Quosdam enim scriptorum inuicem conferens quos numerosissimos recenset III. de HAEN. Rat medend. Tom. XIV. Sect. II. alios video in subiectis indicandis non prorsus inter se conuenire, alios nullius in rebus naturalibus *praedispositionis* mentionem facere, dum absque distinctione morbum quam plurimos inuadere obseruauerint. Sic et de miasmate venereo me latet quae forte sit vel requiratur humorum qualitas ut citius ab eo inficiantur. Inficiantur, inquam, ipsum scilicet virus suscipiant; alios enim iam infectosалиis grauius aut leuius adfici, facilius perspicio. Facilioris potius susceptionis ratio mihi in vasis magis patulis magisque bibulis, sicque in partibus solidis quaerenda videtur. Eadem etiam est plerorumque autorum de variolis sententia, quas *nemini parvere dicunt, cuiuscunque demum aetatis is fuerit, nisi prius hoc morbo laborauerit* (SYDENHAM oper. T.I. Sect. 3. Cap. I. p. 161.) ut ergo vniuersalem adesse *praedispositionem* contendant, non tollendam nisi ipso morbo superato. Prolixis implicarer difficultatibus varias autorum adferens obseruationes de maiori, minori, vel nulla, vel diuerso tempore, inaequali hac ad variolas ipsas *praedispositionem*; grauioris, enim

XXIV D^ISSE^T. IN AVG. MED. DE CAVSSIS PREADISP.

enim velleioris morbi ratio facilius e rebus naturalibus cognoscitur. Solent parentes imminente epidemia, liberis suis variolas nondum expertis consulturi, lenioribus remediis primas vias euacuare; bono quidem consilio, ne, si forte morbus variolosus superueniat, is praesentibus adhuc cruditatibus aut vermbus tanto redditatur deterior. Eo minus hinc aliquis in his cruditatibus aut lauto et imtemperato vitae genere praedispontem suspicaretur causam, dum potius inanitio bibula magis reddit vascula, facilioremque contagii resorptionem.


§. XVIII.

Superest adhuc larga satis materia de dispositione haereditaria differendi. Labem enim a parentibus in progeniem transire frequentissima proh dolor! testatur experientia, et obseruamus apoplexiam, hydropem, phthisin, nephritidem aliosque morbos plurimos successive ex eadem stirpe infestare vel etiam e medio tollere. Nondum nobis satis ipsum conceptionis negotium vel et euolutionis primorum staminum embryonis cognitum est, vt exacte quanta hic sit patris aut matris pars, determinare aut dijudicare possimus, an et quare magis paterni quam materni morbi in progeniem transferantur. Si matris humoribus nutriti foetus dicatur, non eadem in propagatione paternorum morborum est facilitas. Ad connatam quidem solidorum cuiusdam partis confugientes debilitatem, indeque minorem resistentiam, seu et maiorem ad euoluendas varias acrimonias dispositionem aliquid nobis dixisse videmur, at et facile non rem nos exhaustissime perspicimus. Non tamen obstat rei obscuritas quo minus et iis, qui labe quadam haereditaria ad morbos praedispositi sunt, salutari consilio adsimus, et, vt a paterna praeципue diaeta sibi caueant candide suadeamus. Spes quoque superest, fore vt et labes talis haereditaria delevi possit, vt eleganter dicit III. van SVITEN (Comment. T. IV. p. 80.) Quae tamen, vt altioris in dagine, Eruditu*re* lectoris scrutinio, vt et paucas has meditationes paucis pagellis comprehensas aequo eius et beneuolo committo iudicio.



WDR. Pick





18

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
CAVSSIS PRAEDISPONENTIBVS

QVAM
ADIVVANTE SVMMO NVMINE
ACADEMIAE FRIDERICO ALEXANDRINAE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPĒ AC DOMINO
DOMINO

**CHRISTIA
CAROL**

MARGGRAVIO F
SILESIAEQVE DV
VTRIVSQV

EX DECRET

D.IACOBOFF
SERENISS. MARGGRAV

MEDICIN. ET ANATOM
NATVR. CVRIOS.
LITTER. EP

PRO G
SVMMISQVE
PRIVILEGIIS AC I
D
PVELICO ERVD
AVCT

PETR. IOAN. LA

NEV

TYPIS

